


# PALAESTRA LATINA



ANN. XXIII — N. 138

MM. MARTIO et APRILI

AN. D. MCMLIII

## S U M M A R I U M

- Per Orbem, *Marianus Molina*  
 Elogium an ellogium?, *Josephus M.<sup>a</sup> Mir*  
 Ad Demetrium, scriptorem libri «de elo-  
 cutione», *Emil Orth*  
 In Silvium, *G. Raimundus*  
 Commercium epistulare  
 Nova et Vetera, *Ildephonsus González*  
 De librorum periodicorum titulis Latine  
 interpretandis, *Joseph Holzer*  
 Albius longus somnia sibi fingit,  
*Raimundus Sarmiento*  
 Bibliographia, *García, Alba, González,*  
*Ramos*  
 Vita ad certam rationis normam est  
 dirigenda, *Michaël M. Roura*
- 

## PER ORBEM

Non nulla ex commentariis ad nos allatis  
 quae cognitione digna sunt lectoribus nostris  
 praebemus

### A) Clarissimi hospites

Apud Hispanos aliquantulum est deversa-  
 tus Dr. Hector Paratore, Universitatis Roma-  
 nae egregius Professor. Itemque superiore men-  
 se aprilii hospitio accepimus clarissimum Latí-  
 ntitatis magistrum Dnum. A. Ernout quem  
 Consilium Supremum Scientiarum Investigandis  
 atque Universitas Barcinonensis, Matritensis,  
 Salmanticensis ut alloqueretur de rebus phi-  
 lologis comiter invitaverant.

### B) Viri qui e vita cesserunt

Litterae Latinae lugendos viros nuper ami-  
 serunt. Kalendis Februariis animam efflavit  
 cl. professor Vincentius Ussani; VII idus Ju-  
 liae e vita quoque decessit Georgius Pasquali  
 qui ornatus fuerat mira sagacitate Meridiona-  
 lium Germanorumque acuitate et comprehen-  
 sione, apud quos longo annorum spatio non  
 ignobilis exstitit magister; XI Kal. Jul. Dnus.  
 Blasius Goñi obiit, qui apud Hispanos ad lin-  
 guam Graecam fovendam difficillimis illis tem-  
 poribus enixe adlaboraverat.

Recenti quoque dolore nos affecit VIII idus  
 Jan. Dni Eustachii Echauri nuntiuu qui tot  
 tantique momenti opera de Latina, Graeca,  
 Sanscrita lingua exaraverat pluresque discipu-  
 los informaverat atque instituerat.

### C) Congressus de rebus philologis

Parisiis a die 15 ad 19 m. septembribus de Ep-

graphia Graeca et Latina Congressus Interna-  
 tionalis est habitus. Item Genevae a die 1 ad  
 6 ejusdem mensis superioris anni Congressus  
 VII Internationalis de Papyrologia Nuntius  
 denique in vulgus emittimus Congressus VII  
 Internationalis de Lingüística Romanica, cui  
 propedem Barcínone a die 7 usque ad 10  
 mensis aprilis viri doctissimi intererunt.

### D) Lucubrationes dignae quae no- tentur.

—E commentario •Estudios Clásicos• (t. I  
 n. 6-7)

J. VALLEJO, *¿Nuevo aspecto en el estilo indi-  
 recto?*

J. ECHAVE-SUSTAETA, *Expresividad virgiliana.*

V. E. HERNÁNDEZ VISTA, *Sobre la oda 1, 3  
 de Horacio.*

A. BLANCO FREIJEIRO, *Nuevos estudios sobre  
 la Escenografía del teatro griego.*

—E commentario •Revue des Études Latini-  
 nes• (t. XIX):

J. ANDRÉ, *Les adjectifs et adverbes à valeur  
 intensive en per- et prae-.*

A. GILLEMIN, *L'inspiration virgilienne dans la  
 Pharsale.*

J. COUSIN, *Rhétorique et Psychologie chez Ta-  
 cite.*

J. LACROIX, *«Fatum» et «Fortuna» dans l'oeu-  
 ve de Tacite.*

—E commentario •Les Études Classiques•  
 (t. XXI, n. I).

G. COTTON, *L'origine du sens «pejoratif -  
 destructif» du latin per- et inter-.*

—E commentario: •Humanitas•:

Fr. DAMIAO BERGE, *Spiritus*

R. GONÇALVES, *Anotação às Geórgicas, I, 137.*

—E commentario •Humanidades• (vol. IV,  
 n. 1-2):

M. BENÍTEZ, S. J., *Examen psicológico del va-  
 lor formativo de los clásicos.*

J. M. FERNÁNDEZ, S. J., *Un gran poeta latino:  
 Miguel Antonio Caro.*

J. PEDRAZ, S. J., *Formación oratoria de Cice-  
 rón.*

J. FANTINI, S. J., *La retroversión y el uso de  
 las claves para la corrección de la composición la-  
 tina y griega.*

—E commentario •Helmántica• (n. 12):

E. BASABE, *La conservación de los clásicos.*

P. X. ITURGAIZ, *Exegi monumentum, exegesis  
 a Horacio (O. III, 30).*

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

# PALAEASTRA LATINA

PRETUM SUBNOTATIONIS ANNUAE: 20 pesatarum in Hispania et America. 25 pesetarum in reliquis civitatibus.  
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona.  
Scripta ad Moderatorem: Conde, s, Barbastro (Huesca).

## Elogium an ellog um?

Scientia, quae verborum originem investigat, multae opera ac laboris est. Tamen qui linguae Latinae studio operam impense dant facile ad implicatam vocum originem exquirendam alliciuntur. Idque, ut egregius magister Dr. Marouzeau ait (*La linguistique*, p. 59), saepe quasi ut animis relaxentur viri docti faciunt. Sed re vera ea disciplina sumiam habet difficultatem, ac nisi viris in ea peritissimis credamus, in magnos facile errores prolabemur.

Iis ergo fidem semper habeamus.

Cum autem praeclarus Latinitatis magister et cultor (cfr. PALAEASTRA LAT. n. 137, p. 16) a nobis exquisierit qua ratione vox *elogium* sit scribenda —nam *ellogia* nuper ille inscripta viderat— quasi compendio quid scriptores sententint, paucis referre conabimur.

Qui de hac voce scripserunt etymologiarum investigatores (1) in contrarias discedunt sententias; alii enim vocem a Latino, alii vero a Graeco repeatunt fonte.

Mommsen, nobilis ille rerum Romanarum inquisitor, primus *elogium* ab *eligendo* (*eligere*) —sicut *toga* a *tegendo*, *fors* a *ferendo*, *sors* a *serendo* (?)— eruit. Quam tamen sententiam Curtius, vir clmus., validis refutavit rationibus, atque cum plerisque notationum scriptoribus vocabulum Latinum a voce Graeca ἐλέγειν eruendum censuit. Nam ἐλέγειν est, apud scriptores Graecos, quoddam quasi carmen seu inscriptio disticho versu conscripta. Cum autem Romani plures voces, quae ad disciplinas et artes spectant, a Graecis mutuati sint, hanc quoque vocem ab iis desumpsisse minime dubium videtur.

Augusti enim temporibus carmina elegiaca —quae *elegeiae*, *elegiae*, *elegi* vocabantur— poetas panxisse compertum est; ac simili quoque ratione carmen illud fere disticho versu scriptum *elogii* nomine est appellatum, quod vulgo usitatum est prius quam viri docti voces *elegeiam*, *elegiam*, *elegos* indu-

(1) Cfr. DAREMBERG-SAGLIO, *Dictionn. des antiquités*, s. v PAULY-WISSOWA, *Real-Encyclopädie*. ERNOUT-MEILLET, *Dictionn. étymolog. de la l. l.* WALDE-HOFMANN, *lateinisches etymologisches Wörterbuch*. SOMMER, *Handbuch der lateinischen Laut- und Formenlehre* (3), p. 60.

xerunt. Hunc sane primigenium nominis sensum Plauti versu (*Merc.* 409) comprobat Curtius: «Impleantur meae fores *elogiorum* (2) carbonibus», i. e. inscriptionibus seu delicatis versiculis.

Difficultas tamen quae ex phonetica oritur, sic ex scriptoribus solvi posse videtur: *elogium* < ἐλέγειον (*log.* < λεγ- = o < e) cfr. *homo* < \*hemō, *vomo* < \*vemō, *glomus* < \*glemus (SOMMER, *Handbuch der lateinischen Laut- und Formenlehre* (3), p. 114; et *sacrilogus* CIL (-legus), *sortilogus* CIL (-legus), p. 60); i. e. ut dilucide rem exprimunt ERNOUT-MEILLET: «vocalis intima ex quadam cum λόγος et loqui similitudine immutatur», nam et apud Plautum (*Men.* 135) *ante-logium* scriptum reperimus.

Graviorem vero difficultatem, quae ex commutata primae vocalis e quanitate exoritur, ita cl. v. ERNOUT-MEILLET (*Dictionnaire étymol. de la l. lat. s. v.*) explicant: «*elogium*: verbum Graecum ἐλέγειον esse videtur ex vulgi etymologia permutatum; vulgus enim primam e litteram cum praefixo e conjunxit et vocalem intimam ex quadam cum λόγος et loqui similitudine conmutavit» (3); i. e. *elogium* —quod a Graeco ἐλέγειον manare videtur— cum voce *eloquium* collatum est atque conjunctum; quantitas vero producta —quae praefixo e- finest [ēloquium]— in vocem *elogium* est inducta.

Non nulli scriptores (Nazari, Stowaser, veterum quoque sententiam efferentes), ut difficultatem radicus auferrent, vocem ab *eulogium* εὐλογία eruendam censuerunt; alii vero ἐλόγιον. ἐλογεῖον voces commenti sunt, quae —ut est apud DAREMBERG-SAGLIO, et ex lexicis (Bailly, Menge) comprobatur— nullibi exstant ac mente tantum sunt effectae. Alii tandem cum Dūntzer nativam vocis formam *eloquium* fuisse voluerunt.

Quas scriptorum sententias scite ut temporibus illis climus. v. Vossius (*Etymologicum linguae Lat.*) est complexus: «*Elogium* rectene scribatur, mirus est dissensus. Probat id Jos. Scaliger, ac vult conflatum esse ex praeverbio Latino *e*, et Graeco λόγος. Sed hybrida istiusmodi compositio non temere admittenda: sane *prologus*, *propola*, aliaque id genus, quibus firmatum it hanc sententiam, plane a Graecis sunt: quemadmodum in *prologus* et *propola* dicemus. Quod vero ad *antelogii* vocabulum, id quidem ex Latino praeverbio et Graeco λόγος factum esse non inficior: sed hoc jocose finxit Plautus, ut diximus, cum hac de voce ageremus: nobis autem sermo de vocabulis in vulgus

---

(2) Manu scripta *elegeorum* referunt. *Elogiorum* emendarunt ac defendunt Turnèbe, Curtius. Cfr. lectiones in edit.: WEIS, Lipsiae, Holtze; CLOUARD, Paris, Garnier; GOETZ-SCHOELL, Lipsiae, Teubner. —SOMMER, *Handbuch*, subnotat *elegeorum*; WALDE-HOFMANN, *Lat. etymolog. Wörterb.*, *ēlēgōrum*; qui vocem ab *elegi*, *elegeon*, *elegion* (quod in Pl. *Merc.* 409, *ēlēgōrum* legitur) educere videntur.

(3) «*Elogium*, .i. n. [sunt qui ex graeco ἐλέγειον tractum existimant. W.]... Ad nonnullas significaciones efficiendas non nihil valuisse videtur similitudo vocum cum *eloquium* (q. v.), tum gr. λόγος, λόγιον, εὐλογία sim. ceterum e contextu orationis non omnibus locis satis certe cognosci potest, quo pertineant. de re cf. Daremberg-Saglio s. v.; A. v. Premerstein, PW V 244 Osqq.: ita THESAURUS LINGuae LATINAe, s. v.; de *elogio* omnino silere videtur.

receptis: cuiusmodi est *elogium*, *antelogium* non est. Itaque iis assentio, qui *elogium* omnino Graecum putant. Nec tamen *eulogium* scribendum puto, quae sententia fuit Aldi Nepotis in Orthographia, et Henrici Stephani in palaestra de Latinitate Lipsii pag. CCIX. Atque ita jam olim ab Aldo excusum fuit, in Tertull. de Pallio, cap. I et XIV. Sed hanc sententiam merito jam olim improbat Laurentius Valla in notis ad cap. XV epist. ad Romanos. Quippe cum εὐλόγιον sit ab εὖ et λέγειν, vox haec notabit *testificationem honorificam*, sive quod in alicujus dicitur laudem. At *elogii* vox multo latius patet cum generatim sic dici solet omnis *brevis scriptio*, sive sit *titulus rei* alicujus; quales in statuis erant: sive quaepiam *simplex sententiae expositio*, ut cum Tullius in Catone ait, *Solonis esse elogium, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum lamentisque vacare*. Quare nec iis assentio, qui *eclogium* scribunt, ut sit ab ἐκλογή, unde ἐκλογέων hodieque apud Suidam reperitur. Est haec sententia Turnebi, lib. XVIII cap. V, et Mireti, Var. Lect. lib. XI cap. XIII. Sed significatio non convenit, quia sic notaret *excerpta*, ab ἐλέγχῳ, quod est *eligo, excerpto*. Vere igitur illi, qui *elogium* scribendum arbitrantur: vel, *elogium* quidem scribi posse; sed tamen id ab εὐλόγιον, extrito altero *I*, factū videri. Sane uti a λόγος est λόγιον, quo *brevis scriptio* signatur, ita ab εὐλογίος fuerit εὐλόγιον, quod notabit quamvis *brevem rei expositionem*, qualis in titulis et similibus esse solet. Vide quaedam pro hac sententia apud doctissimum Casaubonum, animadvers. in Sueton. Jul. cap. XLVII et Calig. cap. XXIV. Vel dicamus cum Salmasio *elogium* esse ab εἰλεγεῖον, ut a γραφεῖον, *graphium*; a ράφεῖον, *raphium*; a τοπεῖον, *topium*. Εἰλεγεῖον enim est *inscriptio monumenti*, quae nomen mortui, et *elogium* ejus complectebatur. *Titulum sepulcri* nuncupant. Id Latinis quoque *elogium*. Ut apud Maronem in Culice: «Tum fronte locatur *Elogium*»...

Extrema, quam affert Vossius, sententia, una sane probanda est; quae vero *eclogium, elogium* effingunt ab ἐκλογέων et εὐλόγιον rejicendae sunt, ut supra diximus, cum hae voces e lexico Graeco sint expungendae.

Si igitur nostrae aetatis scriptorum auctoritas satis apud nos ponderis habet, scribendum *elogium* censemus.

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

---

## L A T I N I T A S

Consilium, quod animo proposueramus, scriptionem edendi qua de novis Commentariis cum lectoribus communicaremus, deficiente pagellarum spatio, exsequi non possunus.

Haec pura, scita, elegantia de Latinitate scripta cum perlegeris, maximam animo percipies oblationem.

## Ad Demetrium, scriptorem libri “de elocutione”

Nunc tandem fieri potest ut, quo tempore Demetrius ille scriptor libri «de elocutione» (=περὶ ἐρμηνείας) fuerit, certius circumscribamus. Galenus enim Pergamenus medicus (129 - circa 200 p. Chr. n.) in opere «de praenotione ad Epigenem», conventum virorum doctorum describit, qui Romae medicae demonstrationi Galeni interesse volebant; inter quos imprimis duos rhetoras commemorat: Hadrianum nempe et Demetrium Alexandrinum. Locus qui ad Demetrium spectat ita se habet apud Galenum (vol. 14, 627 Kuehn):

Ιλαρῆσαν δὲν τῇ μελλούσῃ γενήσειται δεῖξει καὶ ἄλλοι μέν τινες. ἀτάρ οὖν καὶ Ἀδριανὸς ὁ ἡγέτωρ οὐπω συζητεύων, ἀλλ’ ἔτι συνὼν τῷ Βοηθῷ καὶ Δημήτριος ὁ Ἀλεξανδρεὺς, ἑταῖρος Φαβωρίνου, δημοσίᾳ λέγον ἐκάστης ἡμέρας εἰς τὰ προβαλλόμενα κατὰ τὴν ιδέαν τῆς Φαβωρίνου λέξεως: «intererant autem demonstrationi, quae mox habebatur, cum alii quidam tum Hadrianus quoque rhetor, nondum declamationibus sophistae fungens, sed adhuc Boëthi consuetudine utens; atque Demetrius Alexandrinus, Favorini discipulus, qui publice cotidie Favorini genere dicendi usus ea discutiebat, quae ad disputandum proponebantur».

Hunc igitur *Demetrium* e multitudine scriptorum antiquorum, quibus nomen «Demetrius» est, ob eam causam seligimus quod illum ipsum Alexandrinum scriptorem verum opusculi «de elocutione» putamus; quam opinionem hisce argumentis stabilire nobis in animo est.

Summi certe momenti ad dubitationem de vero operis scriptore eximendam videtur esse terminus λόγιος; rarissimus quem in capite 38 Demetrii scriptum legimus: ἀρξομαι δ' ἀπὸ τοῦ μεγαλοπροπούς ὅπερ νῦν καὶ λόγιον ὀνομάζουσιν: «incipiam autem a dicendi genere grandi (=magnifico), quod hodie etiam «litteris excellens» (=litteris excellenter doctum) nominant.

Quae notiones: μεγαλοπρεπές et λόγιον hoc loco inter se quasi comparantur et pares proponuntur. Haec aequalitas in his significationibus Graecis a modo titulis ornandi temporibus imperatorum Romanorum p. Chr. n. obvio oritur; nam μεγαλοπρέπεια = magnificantia est dignitas, quae homines auctoritate magna affectos decet, unde viri magnifice dicentis elocutio μεγαλοπρεπής, id est «grandis» vel «magnifica» vocari solet. Aequem autem ac μεγαλοπρεπέστια etiam λογιστής vi tituli respiciebatur et maxime in partibus orientalibus imperii Romani; λογιστής igitur est praestantia litterarum, quae pariter ac magnificantia —quae ad indolem ingenii praecellentem spectat— valet. Propterea vir λόγιος ille dicitur, qui litteris (=λόγοις) eminet vel facundia praeclarus habetur; accedit quod hujusmodi homines λόγια muneribus magnae auctoritatis et potestatis publicis fungebantur; hac saltem ratione vox λόγιος (sicut μεγαλοπρεπής) honestatem viri potentissimi significare mos erat; qui titulus λόγιος vocabulum saeculi p. Chr. n. secundi magis magisque in loquendi consuetu-

dinem receptum est, ut e Plutarchi copia verborum efficitur, et λόγιος tanto-pere in usu erat ac vox rhetorica πολιτείας. cuius vim optime Galenus vol. 17 A 678 Kuehn declarat.

Qui tituli Graeci (μεγαλοπρεπῆς et λόγιος) ambo ex dignitatibus imperii Romani orientalis nati praecipue in Aegypto et potissimum inde a saeculo p. Chr. n. secundo distribuebantur, quos Demetrius Aegyptius Alexandriae oriundus bene noverat; eosdem titulos crebros fuisse nostris quoque temporibus inscriptiones et papyri Aegyptiacae testantur (de titulis λόγιος et μεγαλοπρεπῆς cf. FRIEDRICH PREISIGKE, *Wörterbuch der griechischen Papyrusurkunden* III (Berlin 1929) 196-197; praeterea: EMIL ORTH, *Logios* (Leipzig 1926).

Quod argumentum e verbo rhetorico λόγιος deductum summopere ad Demetrii auctoris tempus vitae definiendum et ad originem hujus vocabuli critici illustrandam valet.

Idem *Demetrius Alexandrinus* rhetor aequalis Galeni medici fuit atque eodem tempore atque iste Pergamenus Rcmæ vitam degebat. Demetrius vir erat litteratus in Aegypti capite Alexandria natus, ubi Galenus ipse juvenis litteris et arti medicae studuerat; Galenus autem opus suum «de praenotione ad Epigenem» circa annum p. Chr. n. 180 Romæ, Demetrio vivo composuit; (cf. ROBERT FUCHS apud Neuburger - Pagel, «Handbuch der Geschichte der Medizin» I (Jena, 1902) 387).

Praeterquam quod vox λόγιος Demetrii vitam quodammodo definit, etiam Favorinus sophista, magister ejusdem Demetrii, tempus scriptoris «de elocutione» circumscribit; nam Favorinus Arelatensis in Provincia apud Massiliam circa annum p. Chr. n. 80 natus ab anno 130 Romæ usque ad mortem circa annum 160 ibidem vitam egit. Demetrius igitur, Favorini discipulus, nescio an inde ab anno p. Chr. n. 120 usque ad annum 190 vel amplius fuerit.

Demetrius Aegyptius in sui libri capite 172 herbam Aegyptiacam commemorat, quae χιλιματίς appellatur; ille scriptor Alexandriae ortus in patria litteris celeberrima primo septem artibus liberalibus edoctus postea sese Athenas contulisse videtur, unde Romam Favorini audiendi gratia profectus est; (cf. PAULY-WISSOWA RE s. v. *Favorinus* 2078-2081). Demetrius vero eodem prope modo atque Galenus studio philosophiae quoque deditus videtur esse, magis autem Aristotelis doctrinae favens, dum Galenus Platonis dogmata adamavit. Demetrius ipse adversarium Alexandri philosophi se praebuit, quia Damascenus iste arrogantia quadam et simultate multis hominibus Romæ displicebat.

Quod ad vocem λόγιος pertinet, praeter Demetrium Alexandrinum solus Joannes Stobaeus hoc vocabulo eadem vi rhetorica usus est: Anthologii libri, qui inscribi solent, recensuit Curtius Wachsmuth vol. II (Berolini 1884) 503: καὶ τὴν μὲν ποικιλίαν τῆς φράσεως ἔχει διὰ τὸ λόγιον καὶ μεγαλήγορον, εἰς δὲ ταῦτα καὶ [τὸ Orth] σύμφωνον τὸν δύγματος συντελεῖ: «et varietatem dictionis habet (Plato) propter magnificentiam (=λόγιον) et amplitudinem dicendi (=μεγαλήγορον); ad

eandem qualitatem (=magnificentiam et amplitudinem) etiam concentus doctrinae (Platonis) tendit». Joannes Stobaeus hoc loco μεγαλήγορον cum λόγιον conjunxit sicut olim Demetrius μεγαλοπρεπές cum λόγιον. Uterque scriptor iudicium rhetoricum forma illius figurae «hendiadyoin» dictae expressit; quod hendiadynon Demetrius a viro critico quodam audivisse vel sumpsisse videatur; nam Demetrius ipse ita scripsit: ὅπερ νῦν (=meo tempore) λόγιον ὄνομά ξουσιν; ergo non ὄνομάξω Demetrius de semetipso dixit; unde Demetrium ipsum illam aequalitatem inter μεγαλοπρεπές et λόγιον nequaquam invenisse neque propriam sententiam harum notionum aequalium proposuisse, immo solum ab aliis accepisse manifestum est. Vocabulum μεγαλήγορον occurrit apud Porphyrium, qui ut opinor scriptor libri «de sublimitate» (=περὶ ὑψοῦ) fuit, cap. 8, 4. Porphyrius ipse autem multo ante Joannem Stobaeum fuit; litterae vero et iudicia critica Porphyrii a posteris auctoribus nomine hujus clarissimi philosophi omisso saepissime suscepta sunt. Qua de causa Stobaei quoque iudicium de Platone prolatum, jam pridem a Porphyrio editum esse, licet suspicari.

Postremo breviter vitam Demetrii Alexandrini, auctoris libelli «de elocutione» comprehendamus:

Natus erat Alexandriae circa annum p. Chr. n. 120; primo in illa urbe litteris institutus, adulescens Athenas studiorum causa migravit; erat discipulus Favorini sophistae, quem Romae audivit cujusque genū declamandi imitatus est. Favorino mortuo, Demetrius Romae cotidie declamationes publice habebat more magistri fideliter usus. Notus erat hic Demetrius rhetor Galeno medico, cuius demonstrationi Romae ante annum 180 intererat, ut hujus medici declamandi et demonstrandi rationem observaret atque teneret. Demetrius quamquam Alexandriae in Aegypto natus; tamen Romae in Italia opusculum rhetoricum «de elocutione» conscripsit. Vestigia doctrinae Peripateticae insuper apud Demetrium percipiuntur, nam temporibus illis schola Aristotelica Romae florebat. Demetrium circa annum p. Chr. n. 190 Romae diem supremum obiisse veri simillimum est.

EMIL ORTH

## IN SILVUM

Cunctis ni vacuas rebus relictis,  
Aures te blaterante dedo, Silvi,  
Toto ni capite annuo jocanti,  
Os ni duco fere quasi cacillans,  
Insanire videris, arguisque;  
Quintimmo digito latus ferire,  
Tergum cudere nec meum remittis.  
Tanto saevior!... Auferas inanes  
Vel nugas, ita sim beatus, aures  
Surdorum faciam secus boare ..

Mel submittere neve saxa crede!  
Dicas lauta, petulca, vera, Silvi;  
Tunc demum lepidum facetiarum  
Arridere juvabit ore pleno.  
Quodsi frangere pergis usque tergum;  
Divexare latus, retundere aures,  
Accedas, rogo, bracchis retortis;  
Offendes secus arce ridicatum.

G. RAIMUNDUS, C. M. F.  
*Carthagine Nova, die 31<sup>m</sup>. aug. a. 1952.*

# Commercium epistulare

*Jos. M.<sup>a</sup> Mir, C. M. F., Rmo. viro Antonio Bacci,  
Praesidi Consilii LATINITATI moderandae, s. pl.*

Nuntius, isque sane optatissimus, ex Urbe nobis est allatus: praestantissimos viros, qui litteras Latinas excolunt, simul contendere ut Latinitatem ubique provehant ejusque studium impense foveant; novosque ad id exsequendum commentarios, qui LATINITAS inscribuntur, condere statuisse.

PALAEstra LATINA, ejusque moderatores, qui tot annos operam suam in excolendis ac provehendis litteris Latinis collocarunt, vehementer gaudent cum novum sidus —idque ex Vaticana sede oriens— collucere vident, quod quaestiones de Latinitate dilucide collustrabit.

Ut autem et nos in communem operam aliquid conferre possimus, fasciculos PALAESTRAE LATINAE superioris anni et opusculum, quod NOVA ET VETERA inscribitur, ad vos mittimus, idque exoramus ut et vos LATINITATIS commentarios vicissim reddendos curetis.

Consilio vestro omnia fausta a Deo precamur.

Valeas, colendissime vir, tibique exploratum habeas nos omni studio elaboraturos ut tanto labore opem quoque nostram pro viribus feramus.

Barbastro, Kalendis februariis, a. MCMLIII.

## L A T I N I T A S

*Hamletus Tondini Commentariorum Moderator Josepho Mir sacerdoti s. p. d.*

Jucundae nobis fuerunt litterae Tuae, quibus de commentariis, qui LATINITAS inscribuntur, nobis es humanissime gratulatus.

Profecto ex animi nostri sententia proposuisti ut commentarii vestri atque nostri, obsequii causa, ultro citroque mitterentur; neque dubitamus quin ex hujusmodi officiorum conjunctione omnes simus amplum percepturi fructum.


Quoniam vero commentarii nostri, auspice Sede Apostolica emissi, «catholicum» quandam preferunt aspectum, velimus ut ex Hispanis vestris scriptoribus aliqui, si commode fieri poterit, ad nostrum quoque opus se adjungant socios.

Deus Tibi propitius adsit. Vale.

Scr. in Urbe Vaticana a. d. III Id. Febr. a. MDCCCLIII.

# Nova et Vetera

## Chronometrum



Eo plane tempore nos aetatem degimus, quo homines res ad amussim quamque diligentissime factas cupiunt. Temporis in primis perfectio ab omnibus, sociali in vita, exigitur. Tempus, quod ubivis dicitur, aurum; atque ideo omni emolumenti cura cuique est usurpandum. Jam non in horologiorum, sed chronometrorum regno vivimus. In praesentiarum, minime vera vox illa L. Senecae: «Horam non possum tibi certam dicere. Facilius inter philosophos, quam inter horologia conveniet. Tamen inter sextam et septimam erat» (Apocoloc. 2).

*Chronometrum* nos recens ad unguem vel minimos temporis gradus progressusve edocere natum est. Quod ex se vocabulum idem exprimit: χρόνου μέτρον — quasi temporis mensio. Chronometrum vero hodiernum genus est horologii automati, cum vertice compensatorio, quod summo eoque maxime convenienti ordine movetur: tanquam technique horologiae apex est.

Jam vero non nulla in plagulis hujus Commentarii de varia horologiorum ratione verba facienda duxi, quae tironibus Latinitatis studiosis, ad Latinam de re colloctionem insituendam, argumentum facile praebant.

*Horologium*, a vocibus Graecis ὥρα hora atque λέγειν dicere, est horarium vel instrumentum horas indicans: veluti apparatus nobis qui horas edicit. Vox certe antiquissima in Graecis Latinisque litteris; res autem eadem significata alia atque alia fuit saeculorum cursu.

Horologium generatim appellatur quodvis instrumentum seu machinatio ad intervalla temporis dimetienda. Apud pristinos Historiae populos erant in mutua consuetudine aliquae, quamvis simpliciores, rationes hujus modi rei consequendae.

Syrii, Chaldae, Aegyptii horologio solari tunc temporis usi sunt; Etrusci, Osti, Romanique arenaria insuper et aquaria horologia adhibuerunt.

Solarium tamen, aetate Ramanarum gentium prisca, nobilior fuit cognoscendi horas temporisque partitiones modus. Juvat hic ea, animi causa, recolere quae de solario parasitus esurientis in Plautina fabula blateret, ut apud Gellium est (Noct. Att., III, 3):

«*Ut illum di perdant, primus qui horas reperit,  
Quique adeo primus statuit hic solarium,  
Qui mibi comminuit misere articulatim diem!  
Nam... me puero venter hic erat solarium,  
Multo omnium istorum optimum et verissimum,  
Ubivis monebat esse, nisi cum nihil erat.  
Nunc, etiam quod est, non estur, nisi soli jubet:  
Itaque adeo obpletum est oppidum solariis.  
Major pars populi jam aridi reptant fame».*

1. Sed haec haecdenus. In primo tabulae pictae numero notissimum illud habes horologium «libramenti»: apud vero Hispanos nuncupatur *reloj de pesas*. Libra est enim apte dispositum pondus, quae fune cadenave suspensa, ad ea horologia movenda vulgo adhibetur. Sunt haec horologia grandiora, quae quidem in muris, in parietibus, in turribus, omnium oculis circumspicienda, collocantur atque aptantur. Nulla fere hodierna civitas, in cuius plateis talia horologia desint. In foro nempe ostendenda ab horologiorum fabris efficiuntur.

Horum pars horologiorum conspicua est *pendulum*. Quod oscillare potest, puncto fixo suspensum, sub actione ad unum legis gravitatis et inertiae. Illud vero nuncupatur *pendulum compensationis*, cuius suspendii virgulae sic ante disponuntur, ut earum dilatatio et contracitio nullam ipsius penduli longitudinem commutare possint; quo certe fit, ut res naturae non officiant regulari motui horologii. *Lenticula* tandem est ponduseulum in modum lentis, quae finire solet pendulum horologii. Eam tu in pictura cernere una cum libris earumque funibus, ipse potes.

Horologii proprie dicta seu *automatica*, in commercio hominum, nisi ad medium saeculum transactum, non sunt adhibita; quo tempore primum horologium penduli, posteriorum plane fundimentum et norma, inventum est. Atque horum profectio horologiorum ope tempus in quibuslibet terrae, aëris marisque adjunctis facile metiri possumus.

Pars in eisdem praecipua est tensum *automaton*, quod hispanice *muelle* dicimus. Id sese paulatim resolvens vim occultam explicat donec, exhausto iam renixu, immobilitatem assequatur. Non nullas dentatas, easque inter se affabre dispositas, rotas id quidem automaton agit ac movet, quarum adminicul' duae lanceolae vel sagittulae cum illis forinsecus conexae volvere adiunguntur.

Pro eorum autem forma, usu, situ, dimensionibus, horologia automatica nuncupari solent: Crumenae, armillae, musicae, parietis, penduli, tutris, electrica, evi-

gilatoria, campanae, mensoria, repetitionis, cet. Jam vero, si quando usus sit, hac fere ratione de hora latine colloqui poterit alumnus Latinitatis:

<i>¿Qué hora es?</i>	<i>Quota hora est</i>
Es la una	<i>Est prima</i>
Son las dos y cuarto	<i>Est secunda cum quadrante</i>
Son las tres menos cuarto	<i>Est tertia, dempto quadrante</i>
Son las cuatro y media	<i>Est hora sesquiquarta</i>
Son las cinco y tres cuartos	<i>Est quinta cum dodrante</i>
Son las seis en punto	<i>Est punctum horae sextae</i>
Son las siete, poco más o menos	<i>Est, plus minus, septima</i>
Son las ocho y tres minutos	<i>Est octava cum tribus minutis</i>
Son las nueve menos cinco	<i>Est nona, quinque minutis demptis</i>
Acean de dar las diez	<i>Sonuit jam decima</i>
Van a dar las once	<i>Instat hora undecima</i>
Falta poco para las doce	<i>Haud longe abest duodecima</i>

2. Sed oculos iterum pictae tabulae adjiciamus. In altero quidem numero vides *solarium*, quod nos *reloj de sol* appellamus. Id adhuc non nullis in parietibus murisque apparet ad temporis diei partitionem commonstrandam. Hoc autem horologii genus maxime naturae rerum conveniens est; at nihil omnino, nisi sol alto est in firmamento lucidus, ad rem faciet: quocirca *solarium* appellatur. Fidissimum scilicet, sed temporarium horologium manet.

Itaque horologium forsitan omnium prium in usu fuit illud dictum *sciothericum* apud Graecos et *solarium* apud Romanos. Est nempe facilis communisque apparatus, quo unae diei horae in lineis cognoscuntur ad solem, gnomone umbram faciente. *Gnomon* vero illa est virgula ferrea, qua interdiu horae in solario deteguntur.

En tibi quae de solarii origine tradit Plinius (II, 76, 78): «Umbrarum hanc rationem et quam vocant gnomicen invenit Anaximenes Milesius, Anaximandri, de quo diximus, discipulus, primusque horologium, quod appellant sciothericum, Lacedaemon ostendit». *Sciothericum*, vi nominis, idem est atque «umbram sequens». Ab umbra alii, alii a luce nomen rei indidere. Haec apud Vitruvium (I, 6) invenimus: «Collocetur aeneus gnomon, indagator umbrae, qui graece σκιοθήρας dicitur». «*Scioterum* itaque idem est ac *gnomon*», inquit Forcellinius.

Verum id solis non fuit unicum horologii genus apud Romanos. Haec refert Censorinus (*De die nat.*, 23): «P. Cornelius Nasica censor ex aqua fecit horarum: quod et ipsum ex consuetudine noscendi a sole horas, *solarium* coeptum vocari». Plinius (VII, 60) autem fere idem: «Etiam tum tamen nubilo incertae fuere horae usque ad proximum lustrum. Tunc Scipio Nasica collega Laenati primus aqua divisit horas aequae noctium ac dierum idque horologium sub testo dicavit anno urbis DXCV. Tam diu populo Romano indiscreta lux fuit».

Id aquae horologium dicitur *clepsydra*, a vocibus Graecis κλέπτω furor et

ūdōp aqua: quasi aquam furans. Horologium vero aquarium vel hydraulicum laudat Cassiodorus (*i. Vartiar.* 45). Atque de ejus conficiendi ratione fuse agit Vitruvius (9, 9); at tamen, cum figurae perierint, quas ille in suo libro descripserat, plane intellegi quidquam vix potest. Generatim clepsydra erat machinatio quadam horas indicans ex perenni jugique fluxu aquae in exceptorio.

Sed haec haetenus. Hisce sermonibus finem facimus, ante quam in picturae explicatione ultra progredimur, fasciculo phrasium usitatissimorum in colloctione de die ejusdemque partibus.

<i>Ante lucem</i> : antes del alba	<i>Bis (in) die</i> : dos veces por día
<i>Prima luce</i> : con el alba	<i>Dies unus, alter, plures intercesserunt</i> : un día, dos días y más se pasaron
<i>Ubi illuxit</i> : cuando amanece	<i>Diem proferre</i> : diferir
<i>Lucet</i> : es de día	<i>Biduo serius</i> : dos días más tarde
<i>Adeverascat</i> : se acerca la noche	<i>Dies besternus, hodiernus, crastinus, perendinus</i> : ayer, hoy, mañana, pasado mañana
<i>Die, caelo vesperascente</i> : al caer la noche	<i>Diem dicere colloquio</i> : fijar un día para la entrevista
<i>Multus dies est</i> : el día está avanzado	<i>Ad diem constitutam</i> : para el día fijado
<i>Ad multam noctem</i> : hasta muy avanzada la noche	<i>Ad horam compositam</i> : a la hora convenida
<i>De noche, de die</i> : de noche, de día	<i>Punto temporis</i> : en un segundo
<i>Intempesta nocte</i> : a la mitad de la noche	<i>Horam amplius</i> : por más de una hora
<i>Silentio noctis</i> : en el silencio de la noche	<i>Semibora</i> : media hora
<i>Noche insequente</i> : la noche siguiente	<i>Hora nona illo ipso die</i> : a las nueve de aquel mismo día
<i>Vicissitudines dierum noctiumque</i> : la sucesión del día y de la noche	<i>Bidui spatio</i> : en el espacio de dos días
<i>Noctes diesque, noctesque diesque</i> : día y noche, noche y día	<i>Hodie mane</i> : esta mañana
<i>Tempus matutinum, meridianum, vespertinum, nocturnum</i> , la mañana, el mediodía, la tarde, la noche	<i>Heri vesperi</i> : ayer tarde
<i>In dies (singulos)</i> : de día en día	<i>Fortasse cras, summum perendie</i> : quizá mañana o, lo más tarde, pasado mañana
<i>In diem vivere</i> : vivir al día	<i>Dies dolorem mitigabit, levabit el tiempo calmará las penas</i>
<i>Alternis diebus</i> : cada dos días	(seguar)      ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.
<i>Quattuor dies continui</i> : cuatro días seguidos	

## II. - De librorum periodicorum titulis Latine interpretandis<sup>(1)</sup>

Jam venio ad *boletin*, *bulletino*, *bulletin*, vocem hac Gallica forma etiam apud Anglos et Germanos usitatissimam. Sed neque apud Anglos neque apud Germanos, quod sciām, in titulis occurrit. Sub his appellationibus *boletin*, *bullettino*, *bulletin* intelleguntur periodicae publicationes sodaliciorum eruditorum. Ejus modi antiquissimae in Germania sunt *die Göttinger Gelehrten Anzeigen*. Nuncupantur Latine: «Novellae eruditiae Gottingenses»; «Notitiae litterariae Gottingenses»; «Ephemerides litterariae Gottingenses». Etiam «Commentarii litterarii Gottingenses», in usu sunt. Joannes Augustus Ernesti in sua de Joanne Matthia Gesnero ad Davidem Runhkenium narratione

(1) Cfr. fasc. 137, p. 5.

habet: «shedae Gottingenses, quae de libris novis exponunt». Earum autem titulus plenus Germanicè auditur *Göttinger Anzeigen neuer und gelehrter Sachen*, ad verbum: «Göttingenses notitiae novarum et doctarum rerum». Sapit autem illa superscriptio putidum dicendi genus aetatis, qua *rococum florebat. Bulletins de l'Academie de Petersbourg* inveni Latine redditos per «Commentarii académiae Petropolitanae». Aliis forte placebit «praeconium», quippe quod sit veluti organum sodalicii cuiusdam docti. Josephus autem Fornarius in *ALMA ROMA*, a. MCMXXXIX, p. LXXXV hunc in modum Latine titulum commentarii periodici *Per lo studio et l'uso del Latino, Bolletino internazionale di studi, ricerche, informazioni interpretatus* est: «Index studiorum, inquisitionum, exquisitorum de studio usque Latinae linguae». Alii retinebunt commentarios vel potius commentarium (n. g.) laudantes «Sedis Apostolicae Commentarium Officiale». Rem diu multumque meditatus eo inclino, ut *indiculum*, quamquam posterioris est Latinitatis —apud Augustinum legitur— ceteris praferam. Dum sub judice lis est, —oro tamen, ut Mirius noster clarissimus doctissimusque pro sua humanitate rem dijudicet, sum contentus interim «indiculo».

Quapropter commentarium apud Hispanos celeberrimum *Emérita, Boletín de lingüística y Filología clásica*, in Latinum sermonem hac ratione convertere licet: «Emerita, Indicum linguisticae et philologiae classicae Hispánicum (aut Matritense). Atene e Roma, *Bulletino della Società italiana per la diffusione degli studi classici, Firenze*; «Athenae et Roma, Indicum Societatis Italicae studiis classicis diffundendis Florentinum». *Bulletin de l'Association Budé*: «Indicum Sodalicii Budaeani Francogallicum». *Bulletino di Filologia classica*, Torino: «Indicum philologiae Classicae Taurinense». *Bulletin Hispanique*: «Gallorum Indicum Hispanicum». *Bulletin de la Société nationale des antiquaires de France*: «Indicum societatis antiquariorum Galliae». *Bulletin de correspondance hellénique*; «Gallorum indicum litterarum hellenicarum epistolarium». Est Romae, ut pergam, Institutum epistolarium archaeologiae excolendae. Edit *Annali, Bulletino, Monumenti*: «Annales, Indicum, Monumenta Instituti epistolarii archaeologiae excolendae».

Etiam «magazine» legitur in periodicorum titulis apud Americanos, Anglos, Gallos Germanosque editorum. Sit Latine «horreum»; quae vox saepius mihi in oculos incidit apud philologos praeteriti saeculi, praecipue apud Ritschelium valde usitata. Item *The Guardian* in Britannorum nuntiis in fronte occurrit. Latine redditum alicubi legi voce, quae est «Mentor». Pro *Almanaque, Almanach Scaliger* habet «Almanacus», alii dicunt «Almeniacum»: «Almeniacum Gothanum». Etsi vox est hybrida, tamen probo eam perspicuitatis causa. «Fasti» aliis arridebunt. Evidem praefero «Almeniacum». Pro *Anzeiger Germanorum* propono «Index» Frederico Ritschelio facem praferente. *Philologischer Anzeiger*: «Index Philologus».

Ex eis autem, quae modo disserui, colligitur: *Journal, Tidsskrift, Zeitschrift* esse Latine «diarium»; *revista, rivista, revue, review* nuncupanda esse

«recensionem», eandem quoque vocem esse adhibendam in vocabulorum compositionibus Germanorum uti *Wochenschrift*, *Monatsschrift*, *Halbmonatsschrift* (*rev. bimensuale*), *Quartalschrift*: «recensionem hebdomadariam, rec. menstruam, rec. bis menstruam, rec. trimestrem»; *boletín*, *boletino*, *bulletin* interpretari posse per «indiculum». Ut autem quo sermone exaratae sint ephemeredes, dilucide appareat, more nō aīoīem adiciatur «teira» aut «urbs», in qua typis exprimuntur, sic omne sublatum est dubium. «Periodicum» vero nude positum, ne obliviouscar, in titulis minus probo, etsi aliquoties ephemeredum inscriptiones hoc nomen exhibent.

Restant academiarum acta. Incipio a Borussica academia litterarum. Edit *Abhandlungen* «commentationes», *Monatsberichte* «relationes menstruae», *Sitzungsberichte*, «sessionum relationes». Saxónica societas litterarum evulgat *Abhandlungen* «commentationes», *Berichte über die Verhandlungen* «relationes de actis». Academia Lyncaeorum Italica praeter acta, memorias, monumenta *Rendiconti* quoque publicat. Accedunt *Comptes rendus de l'Academie des Inscriptions et Belles Lettres*. *Rendiconti* et *Comptes rendus* aliquid difficultatis habent. Melzi autem in suo Lexico linguae Italicae vocem *rendiconto* inutilem esse pronuntiat neologismum a Gallis sumptum optatque, ut in ejus locum cooptentur aut «acta» aut «relationes». Cati Hispani dicunt *informe* (*o rendición*) de cuentas, si mihi meo lexico «Langenscheidt» fidere licet, in quantum sunt libelli, quibus quis de suis gestis rationes refert. Sin de Academiarum relationibus super eis rebus agitur, quae in ipsarum congressibus, conventibus, concessibus ventilantur, fortes Iberi «acta de la sesión» usurpant. Philologi fere de actis academiarum simpliciter loquuntur ut suboriatur obscuritas quaedam. Quo facilior exsistat intellegentia, auctor sum, ut Italorum *rendiconti* et Gallorum *comptes rendus* Latine interpretentur «rationes redditiae», si ore res perficiatur, aut «rationes relatae», si per scripturam negotium peragitur, seu rationum redditiones, quae verborum junctura utrumque amplectitur.

Quae cum ita sint, *Comptes Rendus* (1) de l'Academie des *Inscriptions et Belles Lettres* mihi licet reddere Latine in hunc modum: «Galliae Academiae Inscriptionum et Litterarum Bonarum Rationes Relatae». Apud Jancaeos, ut totam rem concludam, locum habent «Transactions and Proceedings of the American Philological Association». Eis attribuo titulum Latinum, «Transactiones et processus Americanae Societatis philologae».

CONCLUSIO: Quod meum erat, confeci. Oro tamen, ut lectores PALAESTRAE LATINAЕ, qua sunt humanitate, in arenam pro rei gravitate quam plurimi descendant, non tantum digladiaturi de novis nominibus in Latium inducendis, sed etiam allaturi meis meliora et sapientiora, atque id eo magis, quod labores lexicographicci, ut ait Littraeus, numquam ad finem perducuntur.

Lebachii

JOSEPH HOLZER, Rector

(1) Saepenumero apud Gallos *comptes rendus* nuncupatur periodicorum rubrica, in qua libri recens editi in *judicium* vocantur. Pro qua re haec suppetunt nomina Latina: «*judicium*, *recognitio*, *censura librorum*».

# Albius longus somnia sibi fingit<sup>(1)</sup>

Albius Longus erat indole benigna et facie pulchra, at animo socordi et pigro, ut vivo patre, nunquam labori manum admoverit.

Pater clavicularii (2) artem exercebat, incidi et folli semper intentus. Puer vero ne minis quidem patris aut exemplo aut precibus in animum induxerat malleo vel lima uti; forcipes (3) ipsae et scalprum ei in odio erant. Semel aut iterum, tornum versans, cum digitum percussisset, ab eo deinceps prorsus abstinuit.

Ulro citroque errare solitus per vias et plateas urbis, insolitis iisque detritis vestibus indutus, supra pontem sedens modo in aquam exspuens, modo aquarum vertices prospiciens, totas consumebat horas.

Longi pater, qui in dies senescebat, ob filii socordiam et desidiam summo maerore afficiebatur. Eum increpans: «Albi fili, inquit, qui tua bona augebuntur, si tempus ita teris tuum, hinc inde more errantis vagans? Quid inde eveniet tibi, cum e vita discessero? Quibus opibus abundabis cum tibi consulendum per te erit? Ad collegarum opificum filios oculos converte; nonne a multo mane ad vesperum usque cottidie insudant? Neque multo illis ipse infirmior es...»

Haec tamen omnia in cassum cedunt. Surdas aures hisce monitis praebet Longus. Nec pater quidem nec deprecator alius illum commovere possunt.

Faber ferrarius (1) tandem de vita cum decessisset, filius viginti libellæ hereditate accepit, quas, justis solutis, ac lenito mortui patris dolore, meliore quo posset modo impendere Albius animo volutavit. Haec apud se tacitus: «Modo omni spe sum destitutus. Segnitiem ponere necesse est meque ipsum juvare. Heu! nimis sero extincti patris amicorumque animadversiones et consilia capio. Nunc si quid erit leviter conandum, arripere tentabo. Pictura, poësis, musica plus quam par est animi contentionem exigunt. Legum studium non me delectat, album enim nigrum esse et nigrum album nunquam probare poteris. A medicina similiter abhorreo. Si vero militiam, quo nihil detestabilius, capesso, magnos labores sustineam opus erit corporisque afflictiones: modo acri frigore torpens, modo aestu et calore liquefescens vel ad talos usque caenosis paludibus immersus. Consobrini mei Thomae bello adversus Indos caesi, qui stipendia meruit Silla duce, strenuo animo careo. O Thomam, infelicem ac miserum consobrinum! Tribus abhinc ferme annis ex quo mortuus est. Terras longinquas peragrare maluit quam apud parentes et propinquos remanere. Sextus est annus ex quo patriam parentesque, mira aggressus, reliquit; Neapoli nomen militiae dedit, undevicesimum post mensem occubuit. Si leni ac placido fuisse ingenio, neque sedes incertas perpetuo conquisiisset, neque immaturam mortem ante tempus oppetiisset, sed ad summam pervenisset aetatem.

*ad proximum num.*

*Convertit RAIMUNDUS SARMIENTO, C. M. F.*

(1) Quam cl. vir Robertson lectoribus Anglicis scripserat fabulam (*Castles in the air*), hanc nos in Latinam lin-  
guam —non semper tamen verbum e verbo exprimentes, sed quibusdam immutatis— convertimus, quo facilior in  
dies sermonis Latini usus alumnis reddatur. —(2) Cerrajero. —(3) Tenazas, cizallas.

# Bibliographia

Dr. HANS WEIS. — *Jocosa*. R Oldenbourg Verlag, München 1952

En tibi, lector, liber mirum in modum paedagogicus, qui Latinum sermonem puerulo, etiam ab illo forte aversanti, gratum et jucundum reddere potest.

Re quidem vera hujus operis scriptor satis demonstrat acutis rationibus Latino et Germanico sermone — et ipso Latino tantum — nos verborum ludis, anagrammatibus, aenigmatibus ludere posse. Adeo flexibilis proponitur lingua Latina ut omni tempore saltibus vigeat. «Sermo Latinus erectus semper consistit», ut catulli, quos etiam aliquando fratos, rigidos, non tractabiles imitatur.

Dolendum quod magna ex parte tantum in lingua Germanica — linnio et dialecto ejus praecipua. Bavara — doctis viris liber sit utilis; plures tamen verborum ludos et alumni superiores facile percipient.

A. GARCIA, C. M. F.

A. MAGARIÑOS. — *Cicerón*. T. DE LA A. RECIO. *Tito Livio*. M. GRANDE RAMOS, *Molière*, Editorial Labor. Barcelona. 1952.

Laudanda sane maxime videtur opera, quam litteris praestat domus Editrix Labor in edendis libris, non volumine, sed in primis doctrina praestantibus.

Tum forma externa tum res ipsa fini collectionis satis respondent, vulgandi nempe litterarum praecipuos scriptores, eorumque operibus legentium animos juvandi. Quem in finem ex diversorum scriptis diversa seligantur capita, quae vel genere dicendi pulchra nobis ostendunt excerpta, vel veterum scriptorum mentem intimioremque sensum legentibus pandunt.

Cl. vir. A. Magariños elegantissimo sermone notas et interpretationes conscripsit. Interpretationes ex orationibus (in Verrem, in Catilinam, Pro Archia, Pro

Marcello), ex philosophiae operibus («Somnium Scipionis de Finibus, de Officiis, Tusculanae disputationes»), ex litteris (ad Atticum, ad Familiares, ad Brutum) desumuntur. In his sensum verum, intimum, mentem praesertim sive philosophicam sive politicam Cicero's illustrare intendit. Tot inter oppositas sententias de Tullii vita operibusque prolatas medium tenet viam, defec-tus maxime vitae non ignorans, nec tamen eos prorsus proferens. Temporum nequitia et rei publicae calamitatibus magna ex parte ita accidit. Ceterum quae de imitatione Graecorum significantur, maxime placent.

Volumen, quod est de vita et operibus T. Livii, eandem insequitur viam. Primum praefatio accurate elaborata praemittitur. In qua omnia quae ad vitam, opera, institutionem T. Livii in historia et arte spectant, agitantur; sed in primis subtile judicium de opere historico instituitur, ejusque virtutes in genere dicendi et defectus quidam significantur. Summa animi delectatione hanc diligentissime conscriptam praefationem perleges.

Deinde quaedam operis Liviani excerpta proferuntur, quibus praeficitur introductio quae temporis historiam praefinit.

Tandem, quae fuerit auctoritas et gloria T. Livii apud Romanos scriptores, quae deinde renascentium litterarum temporibus ad nostram usque aetatem, et in primis apud Hispanos studium et editiones praeclarissimi historici Romanii, summa eruditione commonstratur.

In volumine 17 hujus collectionis quaestiones de Molière, comico poëta, agitantur. Primùm, quo tempore scripsit poëta ejusque vita, describitur; deinde subtili judicio auctor confert comoediā veterem cum nova ab ipso praeclaro poëta Gallico efficta; fontes e quibus rem hauserit, dicendi genus, auctoritas

et nomen, ejus opera apud nos edita, quidque de mortibus Moltère senserit, omnia ponderato judicio expenduntur. Deinde selecta excerpta sequuntur, in quibus Gallico textui interpretatio Hispanica apponitur — quae aliquando Gallicum sermonem redolere videtur ex ipsa forte nimia conqutrendae verborum proprietatis cura—.

Quae volumina, sicut cetera ejusdem collectionis, aptissima profecto sunt ad compendiariam, sed perfectam veterum scriptorum notitiam assequendam.

S. MOTTA — *Il repetitore delle Favole di Fedro*. Società Editrice Internazionale Torino, 1951

Hujus operis finis ex altera tituli inscriptione luculenter infertur: «Nuovo metodo pratico per la rapida, consapevole e completa preparazione agli esami». Quod quidem attigisse hujus operis scriptorem plane credimus. Juxta textum Latinum fabularum libera inscribitur interpretatio Itala; deinde lineis rectis verba singula disponuntur, versio litteralis, analysis et vox a quo vocabula ipsa procedunt. Tandem verborum conspectus in fabula offertur alumnis. Sic lexico et grammatica opus non est si discipulus praecepias saltem mente teneat notiones. Ab illis tamen — opinamur — puer abstinere non debet, nam nisi insudet multum, fructus percipere nequit stabiles. Opus ut maximum adjumentum in periculis subeundis laudamus atque commendamus.

FELIX ALBA, C. M. F.

ANTONIO TOVAR. — *Virgilio Eglogas*. Introducción, Texto y Notas. Consejo Superior de Investigaciones Científicas, Clásicos «Émérica», 1951.

Iterum prelo sunt editae, ad unguem vero recognitae, Eglogae Vergiliane cum Introductione, Textu, Annotationibus clari viri A. Tovar, bene de litteris classicis apud omnes meriti. Omnia fere quae sunt hic usque de re disputata ab scriptoribus Vergilianis in hoc scito libro lector quasi compressa repetit.

In introductione (pp. 5-22) facili omnino synthesi tota Eglogarum historia perstringitur. Ibi enim de chronologia; de re in Eglogis litteraria; de Theocrito, exemplari Vergilli principi; de traditione manuscripta; de editionibus et commentariis pristinis deque Eglogis in Hispania rite disseritur.

Consequuntur decem Eglogae (pp. 23-134) cum Annotationibus grammaticis, stilisticis, rhythmicis, historicis, maxime quidem aestimationis atque ponderis litterarum. Atque finitur liber absolute Indice nominum cum brevibus de re additionibus. Cultores poëeos Vergiliane certe gaudebunt ex hujus operis in vulgus editione.

W. VAN RIJCKEVORSEL, S. J., *Exercices Latins*. Desclée de Brouwer, Bruges, L'édition Universelle S. A., Bruxelles, 1951.

Hic pulcher exercitationum Latinarum liber omnino respondet Grammaticae Latinae a claris PP. Janssens, Van de Vorst et Geerebaert, S. J., exaratae. Nona haec quidem est editio, ex quo facile jam apparet ejusdem apud Latinitatis cultores operis aestimatio. Liber perlucens editus est; bellis usquequaque tabulis pictis quasi conspersus; mira, varia ordinataque copia exercitationum ad linguam Latinam alumnis tradendam penitus refertus.

Latina vero lingua usu commodo facilique discipulo hoc idoneo adminiculo traditur. Non igitur immerito a Gabinete Bruxellensi liber in nomenclaturam operum classicorum indictus est, qui in scholis lyceisque publicis tamquam attestianus habeatur. Magno itaque studio hunc lectoribus librum commendandum duximus.

LUIS RIBERA, C. M. F. — *Misal diario Latino-Español y Devocionario*, Editorial Regina, S. A. Barcelona.

Inter Missalia illa manualia, quae ita hodie ad populi pietatem fovendam eduntur, et hoc quidem eminet, a claro

P. Aloisio Ribera, C. M. F., sedulo elaboratum Totus vero liber in duas partes dividitur: *Missale* et *Devotionarium seu Euchologium*.

*Missale* est omnino absolutum facilissimum usus: altera columna refert textum Latinum; altera vero, translationem Hispanicam. Hinc inde decoratur ornatusque opus pulchris atque illis frequentibus picturis, quae quidem artem, pietatem, liturgiam vere redolent.

*Devotionarium autem seu Euchologium* capit plus 200 pagellis, estque maxime completum inter ea, quae adhuc apud nostrates edita vulgataque sunt.

Liber denique continet fere 1700 pagellas, cuius ars typographica penitus respondet nomini domus *Editricis Regina*, cui tanta semper cura fuit in evulgandis libris devotionis et pietatis.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

CONSTANTE ODDONE. — *Temi Graduali di Sintessi e Stile dal Latino in Italiano e dall'Italiano in Latino*. Volume unico per le Scuole medie superiori. Società Editrice Internazionale Torino. 372 pag.

Multa in hoc volumine scholastica ratione disposita sunt exercitia, quae ex lingua Italica in Latinam aut ex Latina in Italicam vertantur. Quo melius alumni syntaxeos atque stilisticae regulas applicent, eorum animos scriptor saepe revocat, notulis ad calcem appositis, quod multum sine dubio confert ad laborem illum mentis assequendum, quem alumni in optimis scriptoribus legendis atque interpretandis compleant oportet.

Quam profecto utilitatem litterarum Latinarum studiosi ex libro percipere possint auctor in operis praefatione demonstrat, ubi paucis legenti propositum atque mentem aperit. Exercitis, ait, quae ex Italica in Latinam linguam vertenda sunt, hoc maxime habetur quod alumnus ad syntaxim atque stilisticam Latinam passim recolendam atque ad praxim reducendam adigitur, sententias et vocabula extera vocabulis et sententias Latinis convenienter aptans, hinc

inde ad perfectam versionem progressiens. Qui labor quam sit oportunus nemo est qui ignoret.

Opus sane est docentibus atque discentibus utile.

MICHAEL RAMOS, C. M. F.

CERTAMEN CAPITOLINUM III. — Curante Instituto Romanis Studiis Provehendis. Romae, MDCCCCLII.

Tertium est hoc pulchrum opusculum lucubrationum laurea donatarum, in tertio Certamine Capitolino in Italia, curante Instituto Romanis Studiis Provehendis, habito. Duae scitae In eo sunt narrationes, prosa certe Latina classica, exaratae. Earum altera inscribitur: Aloisi Guercio Feriae Anticolenses (pp. 13-35); altera vero, Joannis Ambrosi Columbus (pp. 39-50).

Huic quidem opusculo praeeunt et Acta Certaminis, in quibus judicum ad hoc deputatorum de re sententia proferunt Utinam plures in dies huic anno Certamini Latinitatis cultores navent operam! Hoc enim pacto Latinis Litteris atque cultui largius usquequaque prouisum, quod semper optandum, erit.

RAFAEL TORRES QUINTERO. — *Bibliografia de Rufino José Cuervo*. Publicaciones del Instituto Caro y Cuervo, Bogotá, 1951.

Altera quidem opella «Series Minor» editionum Bogotani Instituti Caro y Cuervo ditata est, in qua et mira et frequens Bibliographia Dni. Rufini Josephi Cuervo refertur. Praeclarius Dr. R. Quintero animo vere indefesso acrique ingenio in unum totum opus nomenclaturee litterariae Corvinæ collegit.

Hoc opusculum 104 paginis constat, hac dispositis ratione: Introductio (pp. 7-31). Tabula siglorum in opere usitatorum (pp. 33-34). Bibliographia Rufini Cuervo (pp. 35-60). Index chronologicus (p. 61). Bibliographia de Rufino Cuervo (pp. 63-104).

Opusculum vere utile, immo necessarium illis, qui de opere litterario R. Cuervo fontem inexhaustum habere cupiunt.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

## Vita ad certam rationis normam est dirigenda

Cynicus ille Diogenes, Athenarum plateam, sole medio in caelo micante, secum faciem adferens, saepe ambulasse narratur. Quem dixisse ajunt, —cum ex eo quaereretur, quid eo modo plateam percurreret—, «homini em quaerere». Cum autem responsum esset ei datum: «Nonne plateam ab illis concurri videret, «Isti, inquit, non veri homines sunt, beluarum quidem vitam, cum earum cupicitalibus regantur, non hominum ducunt.

Apud divum Augustinum alia, qua utar, similitudo adhibetur ad sententiam sane bene confirmandam. Quid? si quis capite deorsum, pedibus sursum versus iter faciat? Omnium quidem ludibrio esset. Similiter coram Domino et angelis, quicumque carnis subiectur, rationi non paret.

Quae cum ita sint, quis ignominia, si vitam hanc dicit, non notatur? Etiam Seneca, clarus ille philosophus, ita sensit ac nire:

«Major, inquit, sum et ad majora genitus quam ut mancipium sim mei corporis.. Quae sententia dignissima est quae omnium Christi discipulorum animis penitus infigatur.

Homo quidam de semetipso puero enarrat, —cum hominem ad januam clave reserendam festinantem vidisset, qui, cum, etsi conatus esset, nequaquam posset, tempore vero premeretur nihilque adipisceretur, tanto opere saevisset, ut non tantum clavem mordere, sed in januam vehementer calcitrare, immo et tantas in Deum scelesto ore contumelias insaniens effundere coepisset, ut oculi viderentur prae insania exsilire—, sese ab ira tanto opere abhoruisse ut in posterum sese illo pacto non inveniri cupientem, nemo eum iratum viderit. Quibus omnibus sumus impellendi ad vitam ratione dirigendam.

MICHAEL M.<sup>a</sup> ROURA, C. M. F.  
Celsonae.

### EDITORIAL SPES

Domicilio social: Paseo de Carlos I, 149  
SERVICIO COMERCIAL Av. del Generalísimo Franco, 259  
BARCELONA - 13

### VOX DICIONARIO GENERAL ILUSTRADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA

Prólogo de Ramón Menéndez Pidal  
Segunda edición revisada y notablemente ampliada por el  
Profesor Samuel Gill y Gaya

Las novedades más sobresalientes de esta edición constan en la amplitud con que se han acogido los neologismos; la incorporación de las voces americanas; el tratamiento de la sinonimia, nuevo en los diccionarios españoles; la reforma y puesta al día de centenares de etimologías; la mejora de gran número de definiciones.

Un volumen de 1856 págs. de 17 x 15 cms. pulseramente impresas sobre papel de fabricación especial. Encuadernado en tela y oro con sobrecubierta a todo color, Ptas. 250; en media piel, Ptas. 300; en piel, Ptas. 350.

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Llerda Prov.